LACTANTIUS

Oberitalien, 2. Drittel 15. Jh. (nach Wasserzeichenbefund) Seite 107r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31239

Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

Quid enim si ut Furius dicebat: rapiatur. vexetur. exterminetur. egeat. aufe
rantur ei manus. effodiantur ei oculi: damnetur vinciatur. uratur mi
seris et modis necetur: perdetne suum precium virtus: an potius peribit ipsa:
Minime. Sed et mercedem suam deo iudice accipiet: et vivet ac semper
vigebit. que si tollas nihil potest in vita hominum. tam inutile tam stultum
videri esse quam virtus cuius naturalis bonitas et honestas docere nos potest:
animam non esse mortalem divinumque illi a deo premium constitutum: Sed ideo
virtutem ipsam deus sub persona stulticie esse celatam: ut misterium veritatis ac re
ligionis esset archanum: ut has religiones sapientiamque terrenam extollentem
se altius: sibique multum placentem vanitatis erroris(que) damnaret: ut propo
sita denique difficultate angustissimus trames ad immortalitatis premium sublime
perduceret: Docui ut opinor cur populus noster apud stultos stultus appelletur:
Nam cruciari atque interfici malle: quam thure tribus digitis comprehensa in focum
iacere tam ineptum videtur: quam in periculum vite alterius animam magis
curare quam suam. Nesciunt enim quantum sit nefas adorare aliud preterque
deum: qui condidit celum atque terram: qui humanum genus finxit: in
spiravit: luce donavit: Quod si servorum nequissimus habetur: qui dominum
suum fuga deserit: isque verberibus et vinculis et ergastulo et cruce omnique
malo dignissimus iudicatur: et si filius eodem modo perditus atque impius ex
istimatur qui patrem suum dereliquit ne illi obsequatur. ob eamque causam
dignus putatur qui sit exheres: et cuius nomen in perpetuum vel fami
lia deleatur: quanto magis qui deum deserit: in quem duo vocabula do
mini et patris eque veneranda conveniunt: Nam ille qui servum precio com
parat: quid in eum beneficii confert: preter alimenta: que illi utilitatis sue gratia
subministrat: et qui filium generat: non habet in potestate: ut concipiatur: ut nas
catur et vivat: Unde apparet non esse illum patrem: sed tantummodo generandi mi
nistrum: Quibus ergo suppliciis dignus est desertor eius: qui et dominus verus et
pater est: nisi que deus ipse constituit: qui spiritibus iniustis eternum paravit
ignem: quod ipse per vates suos impiis ac rebellibus comminatur :—

.XX.

Discant igitur et suarum et alienarum interfectores animarum quam
inexpiabile facinus admittant: Primum quod se ipsos iugulant perditis
simis Demonibus serviendo: quos deus in eterna supplicia dam
pnavit: Deinde quod nec ab aliis deum coli patiuntur: sed avertere homines
ad mortifera sacra contendunt. nituntur(que) summa diligentia: ne qua sit anima
incolumis in terra: que salva statu suo spectet in celum: Quid aliud
dicam quam miseros: qui predonum suorum instigationibus parent: quos deos
esse opinantur: quorum neque conditionem neque originem. neque nomina. neque

Ne apta similitudo.